



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

2.11

Q. D. B. F.
DISSERTATIONVM IVRIS NATVRAE
PRIMAM

DE
NATVRA ET INDOLE IVRIS-
PRVDENTIAE NATVRALIS

PRAESIDE
M. IO. LVDOVICO BOYE,

Fac. Phil. Adiuncto

D. Octobr. A. O. R. M DCC XIII.
tuebitur

HENRICVS FRIDERICVS SCHMIDEKIND,
Bockelhagena Thur.

IENAE,
TYPIS MVLLERIANIS.



21

THE
INTERNATIONAL
CONFERENCE ON
THE HISTORY OF
LANGUAGE


INTERNATIONAL
CONFERENCE ON
THE HISTORY OF
LANGUAGE

CONFERENCE ON
THE HISTORY OF
LANGUAGE

CONFERENCE ON
THE HISTORY OF
LANGUAGE

CONFERENCE ON
THE HISTORY OF
LANGUAGE

CONFERENCE ON
THE HISTORY OF
LANGUAGE



Iebona Labori Benedicente.

THESIVM
IVRISPRVDENTIAM NATVRALEM
ILLVSTRANTIVM
CAPVT PRAELIMINARE

De
Natura & Indole Iurisprudentiae
Naturalis.

Thef. I.

Iurisprudentiam Naturalem illustraturus a natura & indole nobilis huius disciplinae ducam exordium. Quamuis enim haec similisue tractatio ad ipsius Scientiae integritatem neutiquam pertineat, nec neglecta mutilam relinquat obiecti sui declarationem, est tamen orationum praeludiis similis, & dilucidandae ac facilitandae doctrinae, Sapientum * consensu plurimum confert.

B 2

*Per-

* Pertinet huc ARISTOTELIS qui primus Scientias ordinavit effatum L. de Partibus Anim. c. 1. *Circa omnem theoriam atque methodum vel doctrinam tam nobiliorem quam ignobiliorem duos esse habitus constat, Scientiam ac Paediam.*

Th. 2.

*Iurisprudentia itaque Naturalis species est Iurisprudentiae generatim acceptae. Haec vero duplicem Iuris & Prudentiae inuoluit conceptum. **

* Conf. Ill. THOMASIVS Lib. I. Institut. Iurisprud. Diuinae c. 1. §. 1. seqq.

Th. 3.

*Iuris varii sunt significatus. * Nunc enim ipsam notat Iurisprudentiam, vel Iuris Scientiam, quomodo VLPIANO ** Ius ars boni & aequi describitur. Nunc vero proximum Iurisprudentiae designat obiectum.*

* Vid. Lib. I. ff. Tit. I. de Iustitia & Iure. ALBERTVS BOLOGNETVS Lib. de lege, iure, & aequitate c. 15. BRISSONIVS Lib. IX. de Verb. Signif. Verb. Ius. LVDOVICVS MOLINA Lib. de Iustitia & Iure T. I. Disp. 2.

** Lib. I. ff. Tit. I.

Th. 4.

*Obiectum Iurisprudentiae proximum * sunt iura legesque. Leges autem iusta ** dicimus quibus Superior sibi subiectum obligat, vt ad istius praescriptum actiones suas componat.*

* Remotum sunt homines, negotia humana, aliaeque res quatenus de iis leges aliquid disponunt. ** Iu-

** Iura ergo idem quod iussa. Nec errant qui ius a iussu vltima Syllaba per Apocopen subtracta deducunt. Stoici a Iove deriuarunt. Sed licet quoad rem vera dixerint, quoad vocabula tamen ineptiuere, quemadmodum nec alias Stoicorum Etymologiae magni faciendae.

Th. 5.

Veniunt ab hoc significato alii; cum nunc *personae* nunc *actionis* notat *attributum**, vnde hic excludi minime possunt.

* Conf. GROTIUS vterque. HVGGO Lib. I. de Iure B. & P. c. I. §. 3. seqq. GVILIELMVS in Enchiridio de Principiis Iuris Naturae c. I. §. 3. & 4. cum Commentatione Celeberrimi Dn. D. IO. IACOBI MVLLERI, Patroni iugi pietate deuenerandi, p. 18. seq.

Th. 6.

Ius cum *actioni* tribuitur idem quod *iustum*. Iustum autem dicitur tum *sensu aiente* quod iure & lege est praeceptum: tum *negante* quod non est iniustum, iure legibusque prohibitum. Illud *debitum*, hoc vero *licitum* Moralistis audit.

Th. 7.

Sed cum *personae* est *attributum*, qualitatem denotat, facultatem, & potentiam moralem, hoc vel illud iure id est salua lege habendi, petendi, agendi, vtendi.

* Vt loquar verbis Dn. D. Mulleri, l. c. p. 19.

Th. 8.

Prudentiam CICERO * rerum expetendarum &

fugiendarum scientiam dixit. Alii ** sed sensu nihil variante habitum appellant, cum recta ratione, hoc est EVSTRATIO explicante, *judicio integro & sano vitiorum & affectuum vinculo soluto* actiuum, circa ea quae bona vel mala sunt homini, occupatum.

* Lib. I. Offic. c. 43. Lib. 2. de Inventione c. 53. dicitur, *rerum bonarum & malarum neutrarumque Scientia.*

** ita cum ARISTOTELE Lib. VI. Ethic. ad Nicomachum c. 5. huius fere Interpretes,

Th. 9.

Considerari autem *homo* potest vel vt homo est, vel vt huius illiusue societatis est membrum, vel denique vt in hoc illoue viuit statu. Vbiuis vero vt & ipse sit felix, & cum illo simul felices viuere alii possint.

Th. 10.

Hac ergo ratione *bona* sunt homini quae sunt *utilia*, statum conseruant, omnisque generis felicitatem promouere poterant. Tum quoque vel maxime quae sunt *honestae & iustae*, iuri legibusque respondent. Hoc ipso enim quod quid legi conuenit, homini quoque conuenire recte censetur, cum Legislator qui tenerrimo sibi subiectos profequitur affectu, horum saluti legibus prospexisse recte praesumatur.

Th. 11.

Th. 11.

Quicquid honestum & iustum id & utile.
 Hic tamen per utile id demum intelligitur, quod lege directe non est praeceptum, nobis conueniens recte creditur, iuribus tamen non est aduersum. Utilitatem enim sectari laesa honestate & iustitia, id non tam prudentiae, quam calliditatis potius nomen titulumque promereri & communis est Sapientum * consensus, & suo loco vberius comprobabitur.

* *Infantis vtilis qui de recto separatur* PERIANDRI, exprimente IOACHIMO CAMERARIO in Ludo sept. Sapientum p. 128. sapiens erat effatum. notatque CICERO Lib. 3. de Offic. c. 2. SOCRATEM execrari solitum eum, qui vilia & honesta primum distraxisset. Eleganter AMBROSIVS Lib. 2. de Offic. c. 6. *Quod honestum est, utile est & iustum: quod utile, honestum & iustum: & quod iustum, vtile & honestum.* Conf. Celeberrimus Dn. D. IO. FR. BVDDEVS in Ethic. Periandri. §. 4. seq.

Th. 12.

Haec ergo prudentiae species quae quid sit iustum & honestum ostendit, iura euoluendo, leges interpretando, & ad actiones hominum rite applicando *Prudentia Iuris* audit: quemadmodum quae utilitatis innoxiae dictamina, lege cessante, inculcat, *Prudentia* presse, *Prudentia nat' εἰσοχνη*, *Prudentia Status* &c. recte appellatur.

Th. 13.

Th. 13.

Variant iura legesque hinc & variat *Iurisprudentia*, quam Imperator* iusti & iniusti scientiam: alii, sed sensu eodem, notitiam legum dicunt, cum facultate easdem ad actiones hominum rite applicandi.

* Lib. I. Instit. Tit. I. §. 2.

Th. 14.

Optima est *Iuris* quam dedit ARISTOTELIS* in *Naturale & Positivum* divisio, cum sit in membra immediata, totum exaequet, & plene exhauriat. Hinc vero & *Iurisprudentia* alia *Naturalis* alia *Positiva* recte statuitur.

* Lib. 5. Ethic. ad Nicom. c. 7.

** Commendata ex hoc capite tum aliis tum SAMVELI RACHELIO. diff. De Iure Naturae §. 1. sqq. prae divisionibus Iuris aliis.

Th. 15.

Haec ad Theologos, potissimum vero Iureconsultos spectat, (postquam quatuor illae Facultates, ut vocantur, introductae) illa Philosophos*, non obstante quod sit fundamentum *Iurisprudentiae* reliquae.

* Nisi omnem solidiorem Philosophiam Moralem de manibus Philosophorum extorquere volueris. Minime ergo subscribere possum Autori Bibliothecae Iuris Gent. L. I. c. I. §. 23. qui a foro Philosophiae alienam & esse & debere
Iuris-

Iurisprudentiam Naturalem dixit. Nihil enim vel de Philosophia generatim, vel de Practica speciatim dici poterat, quod non accurate ad ipsam possit applicari Iurisprudentiam Naturalem: ut iam non dicam id ipsis datum Philosophis omni aevo Sapientes credidisse, ut de officiis praeceperent, & qua ratione actiones hominum ad legem naturae sint componendae, commonstrarent. Ex eo vero quod Iurisprudentia Naturalis fundamentum est reliquae, hanc a foro Philosophiae alienam esse debere colligi non poterat, cum & Physica sit fundamentum Medicinae, Philosophiae tamen pars esse non desinat. Caeterum Sapientia benigna est, non inuidia, & gaudet si alii etiam quid boni fecerint.

Th. 16.

Quemadmodum a legibus naturalibus* haec Iurisprudentiae species *Iuris naturalis prudentia* frequentissime dicitur: ita ab iisdem habet, quod *Perpetua***, *Vniuersalis*, *** & *Communis* interdum audiat. Sunt enim iura naturalia, quae interpretatur, perpetua & immutabilia, & inter illos etiam quos nulla Iuris Ciuilis tenet communio vim suam longe lateque patentem exerunt.

* *Leges Naturales* sunt decreta & iussa Numinis quae per rectam rationem innotescunt & obligant ad faciendum, quod cum natura hominis ad certum finem condita, religiosa, sui amante, ac sociali, necessario conuenit, omittendum quod cum eadem necessario pugnat. Hinc vero cur *naturales* leges istae dicantur facile patet, si-

B

mul

mal v. ro *perpetuas & uniuersales* illas esse sponte fluit, de quo suo loco pluribus.

** Hoc nomine GROTIUS venit Prolegom. ad I. B. & P. §. 31.

*** *Quam, tam nomen Iurisprudentiae uniuersalis apud veteres non occurrat, aptum tamen est ut illud de quo agit significet exprimatue, dicente IO. NICOLAO HERTIO Commentat. de Iustitia Vniuersali quae inserta Tom. I. Dissertat. Sect. I. §. 2.*

Th. 17.

Nec errant qui *Iurisprudentiam Diuinam* appellent, cum Dei sint decreta quae euoluit. Ceterum tamen est *Iurisprudentia Naturali* hanc latius patere. Ad illam enim illae demum leges quae necessariam cum natura humana habent connexionem pertinent, ad *Diuinam* vero leges quoque voluntariae & positivae referendae veniunt. Illa ex solo lumine naturae, haec vero reuelato insuper exsurgit.

Th. 18.

Veteres eandem sub generatiori *Philosophiae Practicae, Philosophiae item de Moribus, Philosophiae Moralis, Ethicae & Politicae* nomine comprehendebant. Stoici sub *Doctrina de Officiis* exhibebant: quamvis pro dignitate totum hoc argumentum vix discussissent.

Th. 19.

Dixi supra prudentiam esse habitum, quare & *Iurisprudentiam Naturalem* per modum habitus conce-

ceptam, nunc quidem potissimum considerabimus. Ut enim ab habitu cognoscendi & applicandi ea quae sunt bona, prudentes vnice dicimur, ita ab habitu demum & promptitudine leges naturales intelligendi, ex genuinis principiis deducendi, vindicandi, & ad actiones hominum rite applicandi, *Iuris naturalis periti, scientes * & prudentes vnice appellamur.*

* *Scientes & periti* ab habitu potissimum leges cognoscendi, *prudentes* vero ab habitu easdem applicandi, quamuis hic priorem omnino supponat. Hinc vero qua ratione *Iuris prudens, & Iuris Sciens, peritus & Iureconsultus* differant haud difficulter intelligi poterat.

Th. 20.

Cum autem Iurisprudentiae nomen *Systematicae* accipitur, vt complexum designet legum in mente ordinarum, vel scripto insuper commissarum, id per Metonymiam alias quoque receptam fieri dicendum. Sed haec quidem de nomine haecenus.

Th. 21.

Cum de *existentia* Iurisprudentiae Naturalis quaeritur, quaestio non tam est facti quam iuris. De *facto* namque dari Iurisprudentiam Naturalem tot Systemata, Compendia & Elementa Iuris Naturalis dabitare neminem sinunt, quippe quae habitualem Iurisprudentiam Naturalem omnino supponunt.

Th. 22.

Sed cum de iure est quaestio ad existentiam legum naturalium, omnis tandem ultimato recto Disputatio. Quod si enim dantur leges naturales, dabitur quoque habitus, qui circa illarum interpretationem & applicationem occupatus. Cum enim leges regulariter Interpretem desiderent, ut vltimum praestent, quem illarum intendere Architecti, hunc suo iure leges naturales postulabunt, non ex tabulis legendae, sed ex intimis humanae naturae visceribus eruendae, eo quidem magis, quo sunt vniuersaliores, caeterisque legibus fundamenta suppeditant, vim, valorem & efficaciam largiuntur.

Th. 23.

Dari vero leges naturales hic quidem rectius supponitur quam demonstratur. Quamuis enim fuerint* qui vel Scepticismo vel Atheismo infectum pectus circumgestantes, iura naturalia impugnarint, dudum tamen horum strophae a Sapientibus & cordatis Viris sunt discussae. Leges Naturales sunt, *Deum cole, Ama teipsum, vive Socialiter, Quae tibi non vis fieri alteri ne feceris, Quae tibi, haec Et alteri & si quae aliae, cum his euidenter connexae.* Deum ergo, quin & se ipsum negaret, conscientiae vim inferret, omnique societate humana indignum se

com-

commonstraret, qui iura naturalia contra communem omnium gentium consensum, in dubium vellet vocare.

* Vt ARCHELAVS Socratis Magister, ARISTIPPVS Socratis discipulus, cum CTRENAICIS, THEODORVS Atheus. SCEPTICI, EPICVRAEI, quibus omnibus Aduocatum dedit, HVGGO GROTIVS in Proleg. I. B. & P. CARNEADEM tertiae Academiae Philosophum, vt taceam alios. Ex recentioribus huc referunt THOMAM HOBBSIVM, MACHIAVELLVM. Sed de his suo loco pluribus.

Th. 24.

Ceterum qui de Natura Scientiarum praecipunt, de genere, obiecto, fine, vtilitate, necessitate, aliisque solent esse solliciti, quorum vestigiis nunc porro insistam. De genere Scientiarum taediosa vt plurimum est concertatio, quae vel in Logomachiam * transit, vel in odiosa ac morosa diligentia vt plurimum subsistit. Philosophia non est vocabulorum, sed rerum, dicente *Seneca*, rebus ergo intellectis in verborum vsu, vt cum *Cicerone*, ** loquar, faciles esse debebamus.

* Commune hoc est vitium, vix melius quam ex ipsis Scientiarum exordiis intelligendum, de quo elegans extat SAMVELIS VVERENFELSI de Logomachiis Eruditorum Dissertatio. Cum olim veterator templum ingressus & passerem manu tenens ex Apolline quaereret *vinumne an mortuum esset, quod in manibus haberet*; vivum exhibiturus, si mortuum diceret, & continuo ne-

caturus, si viuum pronunciaret. *Penes te situm est an uiuat an moriatur* oraculum respondebat. Idem responsum sciscitanti de genere Scientiarum dandum B. HEIDERVS in *Philos. Morali* p. 16. monuit. Si placuerit Scientiam, artem dicere, Scientia, ars erit; non erit, si nolueris.

** *Libr. 3. de Fin. ad Heren.*

Thef. 25.

Fac ergo Jurisprudentiam Naturalem esse *habitum intellectus * practicum, Scientiam practicam, Jurisprudentiam, Prudentiam, aut Scientiam de Prudentia, Artem, Sapientiam, Philosophiae Practicae aut Eruditionis partem, Doctrinam, vel disciplinam,* nihil certe dices, quod non, pro diuerso praesertim terminorum significato, ad ipsam quadrare possit Jurisprudentiam Naturalem, vel *habitualiter vel Systematice acceptam,* eidemque vel ut *genus proximum vel remotum* queat assignari.

* Id certum Jurisprudentiam Naturalem formaliter esse, habitum intellectus, in promptitudine cognoscendi, & applicandi leges naturales quaerendum. Distinxit quidem ARISTOTELES habitus intellectus in certas classes, nec tamen notiones illae constanter in sermonibus doctorum pariter & indoctorum fuere retentae: ut taceam pro diuerso respectu diuersos circa vnam eademque rem posse operari habitus. Quomodo non obstat Jurisprudentiam Naturalem *Scientiam* dicere, potissimum quatenus est habitus demonstrandi leges naturales; *Prudentiam* quatenus est habitus leges applicandi, quamuis hic il-
lum

lum, vt dixi regulariter, supponat. *Sapientia* quibusdam est habitus principiorum & conclusionum, cum ergo & in Jure naturali principia & conclusiones reperiantur, non obstat Sapientiam eandem dicere: vt taceam Sapientiam nonnullis quoad rem a Philosophia non differre, cuius vero partem esse Iurisprudent. Natural. iam supra obseruauimus *Artem* vocasse Vlpianum. Iurisprudentiam supra vidimus, quid ergo prohibet quo minus Naturalem quoque *Artem* salutemus. Ceterum alia quaestio, an in significato Aristotelico ad Iurisprudentiam haec omnia applicari possint, an hoc vel illud sit genus proximum, an vero remotum. Sed has quaestiones leues esse, in quibus vel nulla vel exigua consistit eruditio, nemo non intelligit.

Th. 16.

Quodcumque vero Iurisprudentiae Naturali genus assignaueris veram & certam esse notitiam, dubitati non debebat. Clarae enim hic inueniuntur ideae, hinc vero clara quoque principia locum habere erat necesse. Vbi clara principia, ibi demonstratio vbi demonstratio ibi scientifica obtinet cognitio.* Ceterum quemadmodum in Analyticis Demonstrationes alias indirectas, id est ad incommodum ducentes, alias directas, harumque alias a priori, alias a posteriori constituunt Doctores, ita nullam illarum a foro nostro alienam esse ipsa Pragmatia docebit.

* Demonstrationis enim finis est scientifica cognitio, cum demon-

demonstrare nihil sit aliud, quam ex veris, certis, ac evidentibus principiis veram certamque deducere conclusionem. Frustra vero quis vrgeret, legem cordibus nostris esse inscriptam, hinc vero demonstrationibus non esse opus. Quod enim de lege cordibus inscripta dicitur, id non nisi de facultate animis nostris congenita intelligendum esse, alii dudum obseruarunt. Ceterum inter principia & conclusiones omnino distinguendum; illa demonstrare equidem non erat necesse, ad primum tamen resolvere principium, quod terminum demonstrationibus ponit, nil vetat. Conclusiones autem non aliter quam ex evidenti cum primis principiis connexionem patefcunt. Atque hoc dicimus leges naturales interpretari, vnde qua ratione ab Interpretatione legum ciuilium, quas Tabulae pandunt, haec iuris Naturalis Interpretatio differat facile intelligitur.

Th. 22.

Minimae ergo audiendi qui omnimodam Moralibus abiudicantes certitudinem, nullas hic demonstrationes, nullam Scientiam dari credidere.* Male certe a natura nobis consultum foret, si ea quae ad felicitatem attinent accurate sciri nequeant, vt adeo id profiteri, sit accusare Sapientiam ipsiusmet naturae creatoris.**

* Vt enim de Scepticis, peste generis humani, Mediae item ac Tertiae Academiae Philosophis, qui promiscue omnem cognitioni humanae certitudinem denegauerunt, nil dicam: reperi fuisse Magni alioquin nominis

nis Viri qui in Theoreticis quidem scientiis demonstrationes admifere, a Practicis vero alienas illas esse & sibi & aliis perfuafere: vel Aristotelis autoritate, decepti, vel quod crederent demonstrationes requirere Subiectum necessarium, actiones autem hominum de quibus Morales disciplinae praecipunt, ad classem contingentium esse referendas. Enim vero quod (1) Aristotelem concernit, minime illum huic fauere sententiae, Viri docti RACHELIVS in *Introduct. in Philof. Moral. c. 12.* Examine Probabilismi Iesuitici c. 6 & 7. HERTIVS in notis ad Puffendorffii I. N. & G. L. I. c. 2. §. 1. DN. IO. IACOB. MVLLERVS, in *Instit. Ethic. Propaedeum. §. 24.* PALTHENIVS *Diff. de Demonstrationibus Mor. c. 2. §. 12. & c. obseruarunt.* Ex instituto quoque de mente Aristotelis differendum sibi sumpsit, DN. ANDREAS LVDOVICVS KÖNIGSMAN, *Diff. An Aristoteles demonstrationem Moralem in incerto statuerit: & alia qua vindicat diu vexatum Arist. locum Nicom. Lib. I. c. 3. de Rerum Moralium Demonstratione aduersus Pseudodemocritum Hallensem P. 2. obs. 2. Germ.* Sane qui docet non vbiuis in Practicis Mathematicas exigendas esse demonstrationes, omnes a Moralibus alienas esse hoc ipso non affirmat. Ceterum magna dissensio gentium in rebus quae honestae & iustae, videtur quidem, dicente Aristotele, id inferre, quod reuera aliqui credidere, lege tantum non natura honestum constare, reuera tamen non infert, nec id Aristotelem vnquam serio credidisse, poterat ostendi. Sed quicquid tandem sit de Aristotele quod (2) de *Subiecto* regerunt, ad id dudum responsum. Subiectum demonstrationis recte quidem dicitur necessarium, sed errant, qui de Subiecto Conclusionis id ipsum intelli-

at. Conclusio intelligenda, quae necessaria ; ubi necessaria inter Subiectum & Praedicatum est connexio. Ius autem generis necessarias propositiones omnino res in Moralibus occurrere sequentia comprobant. Vid. praeter citatos PVFFENDORFIVS L. I. I. N. & G. GEORG PASCHIVS de Mod. Moralia tradendi c. 6. §. 12. sequ.

loquar cum HERTIO. l. c.

Th. 28.

ec tolerandum Probabilitatis * intrinsecae
insecae , absonum magis dicam an impium
: quemadmodum omnes illae hypotheses **
ertitudinem nobilissimae huius disciplinae la-
nt, deque genuino illius pretio multum de-
cordatiores dudum merito proscribere.

andalosum est, Atheismo & quibusuis detestandis scen-
ibus fenestras patentissime aperiens dogma, recte hinc
Innocentio XI. aliisque damnatum, recentiorum quo-
ndam Iesuitarum, rationem quandam probabilem,
manamque auctoritatem omnem esse agendorum &
iendorum normam, adeo ut possit tuta con-
entia amplecti sententia, quam quatuor, tres, duo,
vnus etiam Doctor tradidit, etiamsi aperte fuerit falsa
legi diuinae contraria. Allegarunt hanc in rem plu-
Celeb. Dn. D. MVLLERVS. l. c. §. 16. & Summe Reu.
D. BVDDEVS in Hist. Iur. Nat. §. 14. Occasionem
o dedere *Probabilismo* quidem *Extrinfeco* omnis ge-
is sectae, coeco impetu Magistrorum placita sequen-
: ad fastigium vero hanc superstitionem deduxit

IGNA-

IGNATIVS. LOYOLA, qui in Epist. de Virtut. Obedientiae Sect. 18. hanc suis legem dedit: *Statuere debetis vobiscum, quicquid superior praecipit, ipsius Dei esse praeceptum & voluntatem. Atque ut ad credenda quae Catholica fides proponit, toto animo assensuque vestro statim incumbitis: sic in eadem facienda quaecumque Superior dixit caeco quodam impetu voluntatis parendi cupidae, sine vlla prorsus inquisitione feramini. Intrinsecus vero qui se in probabili fundat ratiocinio, Scholasticis natales debet, qui non tam pondere quam multitudine argumentorum, quae raro ultra probabilitatem ascendunt, mouebantur.* Conf. LYDOVICVS MONTALTIUS in litteris prouincialibus, VVILHELMVS VVENDROCKIUS in notis ad Montaltium, RACHELVS in Examine Probabilitatis THOMAS STEGERVS de Probabilitate nouo Moralistarum ac Iesuitarum dogmate, & quos ex ipsis Romanensibus allegat DN. BVDEVS, l. c.

** Enarrat illas ex parte Dn. D. BVDEVS Dissert. de Scepticismo Morali quae Analectis Hist. Philos. est inserta.

Th. 29.

Id vero nil obstat quo minus fictionibus & assumptionibus in Iure naturae interdum vtamur, * siquidem demonstrationibus nostris hinc lux aliqua accedere possit, cum idem in aliis quoque Scientiis sit receptum. Cauendum saltem ne fingamus aliquid cui natura ipsa auersatur, quodque ipsam iuris naturalis substantiam euertit. **

- * Etiamfi forte Scriptura Sacra aliud quid dicitauerit, Huius enim auctoritati hinc quidem nil decedit. Quicquid fingimus id pro vero non habemus. Vt taceam in Iurisprudencia Naturali non tam ad Scripturam, quam rationem attendendum; tum vt pateat quorum ratione ascendere queamus, tum insuper vt valeat Philosophia apud illos etiam qui Scripturam Sacram non assumunt. Conf. TITIVS obseru. 4. ad Puffendorffii L. de Off. Hom. & Ciuis. HERTIVS. l.c.
- ** Quales sunt fictiones Hobbesianae: Homines natura esse hostes: nullo iuris vinculo connexos, fungorum, instar e terra pronatos, de quibus alibi pluribus,

